

modum solvendi obiectam difficultatem, seu praesentem quaestionem *Calmetus* (1) appellat *opinionem communiorem et aequiorem*, ac pro ea citat s. *Chryst.*, *Lyran.*, *Caietanum*, *Sanctium*, *Cornelium*, *Menchium*, et alios.

22. **QUAERES XXI.** *Quomodo illud* (Actor. 25, v. 13): *AGRIPPA REX ET BERNICE DESCENDERUNT CAESAREAM AD SALUTANDUM FESTUM, cum veritate consentiat; cum pridem antea* (Actor. 12, v. 23) *Herodes* (Agrippa) *rex percussus fuerit ab angelo, et CONSUMPTUS A VERMIBUS, exspiraverit?* R. Agrippa, de quo in primo textu sermo est, non fuit senior ille, qui ab angelo percussus interiit, sed eius filius, *Drusillae* et *Bernices*, frater. *Agrippa* enim senior habuit duos filios, *Dru-*

*sum* et *Agrippam* iuniorem: ac tres filias, *Drusillam*, *Bernicem* et *Mariannem*, teste *Iosepho Iud.* (2). Vide *Cornelium a Lap.* (3).

23. **QUAERES XXII.** *Quomodo intelligendum sit illud, quod Paulus* (Actor. 27, v. 33) *ad eos qui erant in navi metu consternatos ait: QUARTADECIMA DIE HODIE EXPECTANTES IEIUNI PERMANETIS, NIHIL ACCIPIENTES. An possibile, ut quatuordecim diebus nullum cibum sumpserint?* R. Hae voces: *nilhil accipientes* intelligendae sunt, non quod nihil omnino comedissent, sed quod perparum et obiter, et quasi nihil: vel *nilhil* per modum iusti prandii aut caenae, sed carptim libantes potius, quam comedentes. Ita *Lorinus*, aliique probati interpretes.

## SECTIO II.

### DE EPISTOLIS S. PAULI

Ad Chronologicum ordinem epistolarum s. *Pauli* dignoscendum, opus est nosse gesta, aerumnas et itinera huius apostoli, quae praeter alios erudite recensent *Natalis ALEX.* (4), *Calmetus* (5), *Goldhagen* (6), quorum ultimus sequentem tabulam chronologicam epistolarum s. *Pauli* exhibet.

ANNO AERAE  
CHRISTIANAE

#### TABULA CHRONOLOGICA EPISTOLARUM S. PAULI

52	I. ad Thessalonicenses	scripta Corinthi
53	II. ad Thessalonicenses	» Corinthi
53	ad Galatas	» Ephesi
56	I. ad Corinthios	» Ephesi
57	II. ad Corinthios	» in Maced.

(1) Comment. in Actor. c. 25, v. 3.

(2) Lib. 18 Antiq. c. 7.

(3) Comment. in Actor. c. 12, v. 1, c. 25, v. 15.

57	ad Romanos	scripta Corinthi
61	ad Philemonem	» Romae
62	ad Philippenses	» Romae
62	ad Colossenses	» Romae
63	ad Ephesios	» Romae
63	ad Hebraeos	» Romae
64	I. ad Timotheum	» in Maced
64	ad Titum	» Nicopoli
65	II. ad Timotheum	» Romae

Ex hac tabula patet, quod quatuordecim epistolae s. *Pauli* quas ecclesia ut canonicas recepit, in bibliis non sint positae secundum ordinem temporis, quo fuerunt scriptae; sed potius habita sit ratio tum eorum, ad quos scriptae sunt, tum argumenti, in quo versantur. Fatendum tamen, quod interpretes non conveniant in assignando harum e-

(4) Tom. 3, saecul. 1, c. 7 et 8.

(5) Praefat. in epist. ad Romanos.

(6) P. 5. introduct. in sacr. Script. n. 129.

epistolarum ordine quoad tempus et locum scriptionis; ut patebit legenti proœmia *Cornelii a Lapide*, *Calmeti*, *Tirini*, aliorumque in epistolas Paulinas; illud tamen certum, quod omnes hae epistolae idiomate graeco scriptae sint, excepta epistola ad hebraeos, quae hebraice, seu lingua hebraeis tunc usitata scripta est, et epistola ad romanos, quam *Salmeron* et *Harduinus* contra plures alios putant scriptam esse latine. Porro subscriptiones, quae in codice graeco Paulinis epistolis subiiciuntur, (ex. gr. epistolae ad romanos haec subscriptio: ἐγρέψην ἀπὸ Κορίνθου) serius creduntur adiectae fuisse, non ab ipso *Paulo*, unde nec in vulgata latina leguntur, nec authentia valent.

#### CAPUT I.

##### De epistola s. *Pauli* ad Romanos.

In hac epistola discutitur quaestio operum legis et gratiae, an videlicet iudaeis solis propter merita operum legis data sit iustitia et salus, an vero omnibus omnino nationibus a Deo concessum sit, ut per fidem in Christum et gratiam eiusdem iustificentur. Hac enim de re iudaei cum gentibus contendebant, gentibus philosophiam, et virtutes morales iactantibus pro sua iustitia: iudaeis vero venditantibus opera legis, et quod essent posterius Abrahamae, quibus promissus erat Messias et salus, ita ut, si ea potiri vellent gentes, deberent circumcidi, et fieri iudaei proselyti. Utrosque refellit in hac epistola *Paulus*, ostendens, quod iudaei contra legem *Moyseis*, gentes contra legem naturae gravissime peccarint, et utrique indiguerint redemptore, ac utrisque promissus sit Messias, cuius fi-

(1) In libro, quem inscripsit *Bélisaire*, c. 15.

de et gratia iustificentur, et sic aeternam salutem consequantur.

24. **QUAERES I.** *An ex illis verbis* (Ep. ad Rom. 1, v. 21): *CUM COGNOVISSENT DEUM, NON SICUT DEUM GLORIFICAVERUNT, etc., aut aliunde probari possit, quod ethnici philosophi vel alii gentiles, ductu solius rationis naturalis, absque religione revelata ad aeternam salutem pervenire possint?* R. negative. Quamvis enim hodierni religionis christianae hostes cum *Voltairio* et *Marmontelio* (1) fidenter affirmant, homines absque religione revelata salvari posse, ideoque *Socratem*, *Aristidem*, *Zoroastrum*, *Catonem*, *Traianum*, *Julianum* apostatam, etc. hoc est, paganos, aut christianorum persecutores sanctorum fastis adscribere non vereantur; oppositum tamen, scilicet nec philosophos gentiles, nec ullum mortalium per solam religionem naturalem, sine fide supernaturali, hoc est, sine supernaturalium quarundam veritatum doctrina divinitus patefacta et credita, aeternam salutem consequi unquam potuisse aut posse, sequentibus argumentis ostenditur.

I. *Sine fide impossibile est placere Deo*, ut s. *Paulus* (2) ait: loquitur autem apostolus de fide supernaturali veritatum supernaturalium, ut patet ex definitione fidei, quam ibidem (3) praemittit, dicens: *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, et ex ratione, quam (4) adiicit his verbis: *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit*, nempe dando beatitudinem supernaturalem consistentem in bonis non apparentibus, omnem humanam rationem excedentibus, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, etc. (5).

(2) Ad Hebraeos c. 11, v. 6. (5) V. 1.

(4) Ibid. v. 6. (5) 1. Cor. c. 2, v. 9.



II. Fides in Christum tanquam humani generis Salvatorem omni tempore ad salutem fuit hominibus necessaria, iuxta illud de Christo (1) dictum: «Nec est aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.» Et iterum (2): «Scientes quod non iustificatur homo... nisi per fidem Iesu Christi.» Unde s. *Augustinus* hanc in rem (3) bene ait: «Cum omnes iusti, hoc est, veraces Dei cultores, sive ante incarnationem, sive post incarnationem Christi, nec vixerint, nec vivant nisi ex fide incarnationis, in qua est gratiae plenitudo, profecto quod scriptum est non esse aliud nomen sub coelo, in quo oporteat nos salvos fieri, ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum est; sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur (I. Cor. 15, v. 22), quia sicut per Adam omnes iniusti, ita et per Christum omnes

(1) Actor. c. 4, v. 12.

(2) Ad Galat. c. 2, v. 16.

(3) Epist. 137 ad Optatum.

(4) Epist. 89 ad Hilarium. Item lib. de natura et gratia, cap. 44.

(5) Epist. ad Philadelph.

(6) Ioan. c. 14, v. 6.

(7) Tres hodie circumferuntur de Sybillarum oraculis diversae sententiae. Prima est veterum, qui usque ad saeculum a Christo nato decimum sextum crediderunt, octo libros Sybillinos revera a Sybillis confectos fuisse ante Christi adventum. Secunda est *Blondelli* scriptoris aetholici, qui indigne ferens ea quae in his libris de purgatorio dicuntur, primus ex christianis fuit qui asserere ausus est, hos libros esse supposititios a christiano quodam deceptore secundi saeculi confictos, qui falso sibi persuasisset, licere ad convincendos gentiles oracula haec graecis carminibus conscribere, eaque Sybillarum nomine venditare. In hanc sententiam postea iverunt *Dupinus*, aliique ex recentioribus criticis. Tertia sententia est *Natalis Alexandri* histor. eccles. saecul. 1, dissert. 1 media via inter duas praecedentes sententias incedentis, et ne-

iusti homines.» Idem docet s. *Augustinus* etiam in aliis locis (4). Idem quoque asserunt alii patres, inter quos primo statim ecclesiae saeculo s. *Ignatius M.* (5) ait *Abrahamum, Isaacum, Iacobum*, et prophetas salutem consecutos esse, quia in Christum speraverunt, ipsum expectarunt, in eundem crediderunt, addens ipsum esse ianuam Patris, per quam omnes salvandi ingrediuntur. Unde Christus de seipso (6) dicit: *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Igitur fides in Christum omni tempore fuit necessaria saltem implicita, hoc est, imperfecta saltem notitia de Reparatore ac Salvatore corrupti generis humani. Atque hanc notitiam habuisse existimandum est omnes gentes, ubicunque terrarum habitarent. Nam praeter ea, quae *Eusebius caesariensis* et *Lactantius Firmianus* ex variis gentium auctoribus hac de re in medium producent, quaeque ex luculentis de Christo sybillarum oraculis (7)

gantis quidem Sybillarum oracula esse figmenta christianorum; fatentis tamen non esse prorsus incorrupta Sybillarum carmina, quae octo libris continentur in bibliotheca patrum. Caeterum illud saltem certum, Sybillas diu ante Christi adventum extitisse, et de eo venturo tanquam vero Messia vaticinatas fuisse; cum praecipui PP. *Iustinus M.*, *Clemens Alexandr.*, *Origenes*, *Lactantius*, *Hieronymus* illarum oracula contra Ethnicos citent. Neque enim credibile est, quod praeclearissimi PP. Sybillarum oracula fuissent adhibitori, sive ad expugnandum paganismum, sive ad confirmandam religionem christianam, nisi de authentica oraculorum istorum veritate argumenta ipsis validissima suppeditissent, etiamsi nobis haec non omnia cognita sint, sicut antiquis illis patribus, qui temporibus Sybillarum multo viciniore erant, perspecta fuere. Quis enim credat, sanctos illos et sapientissimos patres tantopere a regulis prudentiae et probitatis defecisse, ut cum praesto essent ipsis miracula, vaticinia impleta prophetarum V. T., aliaque manifesta credibilitatis motiva pro veritate religionis christianae, adeo sui ipsius ch-

proferri solent, hanc notitiam suis illis et nepotibus primo generis humani parentes in ipso mundi primordio, quasi ad salutem necessariam tradidisse, et eandem postea per omnes aetates devolutam fuisse ad posterum, non est dubitandum. Sic, ut alia taceam, *Iob*, quamvis non fuerit iudaicus, sed inter gentiles educatus, vel ex traditione maiorum, vel quod in sui et in aliorum instructionem divinitus fuisset ita edoctus, scio, inquit, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum (1). Plura hanc in rem erudite disserit *Michaël Medina* (2).

25. SCHOLION. Etsi deistae alique increduli nec s. Scripturam, nec ss. patres curent; tamen ex ipsis gentilium philosophorum crassis erroribus cum theoreticis tum practicis, eorumque vitiosis moribus concludere deberent, solam naturalem de Deo et divinis rebus cognitionem sine fide et gratia supernaturali nemini sufficere ad obtinendam aeternam salutem. *Socrates*, teste *Tertulliano* (3), obsceno inpueros amore se inquinavit, et morti proximus socie rogavit (4), ut gallum gallinaceum, quem *Aesculapio* promiserat, suo nomine offerrent. *Plato* (divinus ille *Plato*, ut vocabatur) telluri, astris, daemonibus cultum ex-

litos fuisse, ut ad oracula mendacia, aut ab aliquo deceptore conficta, vel merito suspecta confugerent? Verum plura de oraculis Sybillinis vasta eruditione disserit *Honoratus a s. Maria*, tom. 2 de regulis et usu criticis, lib. 2, dissert. 2, qui etiam opposita *Blondelli* argumenta fuse recenset et refellit.

(1) *Iob* c. 19, v. 25.

(2) L. 4 de recta in Deum fide, c. 40.

(3) In Apologetico adversus gentes, cap. 45, ubi gentiles philosophos perstringens, ita de *Socrate* ait: *Idem et cum aliquid de veritate sapiebat, deos negans, Aesculapio tamen gallinacum prosecariam in fine (vitae suae) iubebat... Caele-*

hibendum esse docet (5), et promiscuam inter utriusque sexus personas, etiam inter fratres et sorores (6) libidinem permittit. *Seneca* sacrificia laudat, non quasi Diis placita, sed quia legibus iussa, ut testatur s. *Augustinus* (7). Porro si *Seneca* aliquid verae virtutis et religionis habuit, id ex notitia legis evangelicae et veritatum supernaturalium, quas ex conversatione cum christianis, praesertim cum s. *Paulo* haurire potuit, acquisivit. Quamvis enim epistolae s. *Pauli* ad *Senecam* et huius ad illum, quae hodie extant, supposititiae sint (8), negandum tamen non est, inter illos ambos aliquam consuetudinem intercessisse, eosque mutuum habuisse epistolarum commercium. *Trimegistus* (9), *Aristides*, *Zoroaster* etc., cum omni sua humana sapientia in altissimis idololatriae tenebris et divinarum rerum ignorantia iacuerunt. *Traianus* pariter ethnicus, ac praeterea turpis cuiusdam vitii contra naturam (10) arguitur. *Iulianus* apostata hoc ipso suo cognomine satitis infamis, idololatriae et superstitionis ethnicae studio imperialem coronam deonestavit. Eant nunc increduli nostrorum temporum, et philosophos illos gentiles ac imperatores ethnicos ut viros probos praedicent, eosque ut sanctos et beatos

rum si de pudicitia (nos christiani) provocemur, lego partem sententiae *Atticae* in *Socratem corruptorem adolescentium pronuntiatam.*

(4) Vide *Tertullianum* loco modo citato, et *Lactantium* de falsa sapientia, l. 5, c. 20.

(5) In *Epinomide*.

(6) *Dialogo* 5 de republica.

(7) L. 6 de civ. Dei, c. 25.

(8) Vide *Menochium* *Centur.* 1, § 20.

(9) Vide s. *Augustin.* l. 8 de civ. Dei, c. 25.

(10) Vide *Natalem Alexandr.* histor. eccles. saeculi II, dissert. 1, conclus. probatione quinta.



canonizent, quos detestanda superstitione excaecavit, aut infandae veneris mancipia asmodaeus auctoravit, oreoque addixit. Enimvero de talibus verissime dixit *Paulus* (1): « Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis: obscuratum est insipiens cor eorum. » Denique si quis plura de gentiliū philosophorum vitiis, aut de solius naturalis de Deo cognitionis insufficientia ad obtinendam aeternam salutem nosse cupit, legat hac de re quaestionem bibliocopemicam *Hermannii Goldhagen* (2), *Cornelium a Lap.* (3), *Petrum Hulloix* (4), *Carolus Sanseverinum* (5), *Dominicum Viva*, et *Cardenas* (6), item *Calmetum* (7) etc.

26. **QUAERES II. Quomodo sequentia concilientur, dum** (ad Rom. 3, 20), *dicitur*: EX OPERIBUS LEGIS NON IUSTIFICATUR OMNIS CARO CORAM DOMINO. Et (ad Rom. 4, v. 2): SI ABRAHAM EX OPERIBUS IUSTIFICATUS EST, HABET GLORIAM, SED NON APUD DEUM. *E contrario* (in epist. Iacobi I. v. 21), *dicitur*: ABRAHAM NONNE EX OPERIBUS IUSTIFICATUS EST? Et (ibid. v. 24): QUONIAM EX OPERIBUS IUSTIFICATUR HOMO. An non in his locis s. Iacobus s. Paulo contradicit? *ŕ.* Nulla hic est contradictio nisi dumtaxat apparens. Nam s. *Paulus* agit contra iudaeos confidentes in operibus legis mosaicae, et contra gentiles gloriantes de suis virtutibus mere naturalibus (8), ac contendit, nec opera legis mosaicae, nec virtutes mere naturales sufficere

(1) Ad Roman. c. 1, v. 24.

(2) P. 5. introduct. in s. Script. num. 135, et seqq.

(3) Comment. in ep. ad Rom. c. 1, v. 23 et 26.

(4) In animadversionibus ad vitam d. Iustini, M.

ad veram iustitiam et salutem, seclusa fide in Christum. Unde ait: *Si Abraham* (idem est de quocunque alio homine) *iustificatus est ex operibus legis vel naturae*, seclusa fide in Christum, iustitia illius erit solum externa, politica et humana, habens quidem laudem et gloriam apud homines, qui sola externa opera vident, suspiciunt et laudant, *sed non apud Deum*, qui interna respicit et requirit, puta fidem, spem et charitatem. S. *Iacobus* vero loquitur de operibus coniunctis et ortis ex fide, spe et charitate in Christum et Deum.

27. **QUAERES III. Quomodo illud**, (ad Rom. 4, v. 18), *de Abrahamo dictum*: CONTRA SPEM IN SPEM CREDITIT, UT FIERET PATER MULTARUM GENTIUM, *explicandum sit*? *Si enim credidit in spem, quomodo contra spem?* *ŕ.* Credidit *Abraham contra spem*, quia credidit futurum id, quod naturali via sperare non poterat. Nam quando ei promissa est posteritas copiosissima (9), nondum habuit liberos, et conclusa erat *Sarae* vulva. Nihilosecius spe omni humana destitutus, per fidem spem concepit divinam, et Deo innixam, *ut fieret pater* etc. Credidit ergo *in spem*, id est, per fidem spem divinam concepit *contra spem* omnem humanam et naturalem. Ita *Toletus* cum aliis in hunc locum.

28. **QUAERES IV. Quomodo intelligendum illud** (ad Rom. 7, v. 7): PECCATUM NON COGNOVI NISI PER LEGEM, *nempe mosaicam*? *An ergo ante hanc legem nemo peccavit*? *Numquid* (ad Rom. 2, v. 12), *haec verba*:

(5) In libro edito *Bononiae*, in Italia, an. 1764.

(6) In trutina, vel Crisi in propositionem 23 ab Innocentio XI damnatam.

(7) In dissert. ante commentarium epist. ad Romanos.

(8) Loc. cit. n. 150 et 151.

(9) Genes. c. 15, v. 5.

QUICUNQUE SINE LEGE PECCAVERUNT, SINE LEGE PERIBUNT *clare indicant, etiam ante legem data esse peccata?* *ŕ.* S. *Paulus* tantum vult dicere: Licet peccatum in mundo iam ante legem fuerit, et homines passim peccarint; tamen peccatum non cognoverunt, id est, vix aestimarunt, vix reputarunt. *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur*, hoc est, non reputabatur, *cum lex non esset*, ait *Paulus* (1). Igitur homines peccatum tunc non reputabant, solam naturam et concupiscentiam suam sequentes, cum legem scriptam, quae peccati foeditatem ostenderet, nondum haberent; quamvis utique lumine rationis cognoscere potuerint se male agere, adeoque laborarent ignorantia vincibili et culpabili. Ubi notandum, quod *Paulus* loquitur de lege per Moysen data, quae moralia etiam praecepta complectebatur.

29. **QUAERES V. Quomodo illud** (ad Rom. 8, v. 16): IPSE SPIRITUS TESTIMONIUM REDDIT SPIRITUI NOSTRO, QUOD SUMUS FILII DEI. *Item illud* (ibid. v. 38) *Pauli dictum*: CERTUS SUM, QUIA NEQUE MORS, NEQUE VITA... POTERIT NOS SEPARARE A CHARITATE DEI, *concordet cum illo* (Ecclesiasticis 9, v. 1): NESCIT HOMO, UTRUM AMORE AN ODIO DIGNUS SIT: *item cum illo* (I. Cor. 9, v. 27): CASTIGO CORPUS MEUM... NE FORTE, CUM ALIIS PRAEDICAVERIM, IPSE REPROBUS EFFICIAR? *Nonne hi posteriores textus repugnant prioribus, cum duo priores textus indicent, hominem posse esse certum de sua salute et praedestinatione, quod ambo posteriores negant?* *ŕ.* Nulla in his Scripturae locis est contradictio. Nam Spiritus s. in nobis habitans, reddit quidem testi-

(1) Ad Rom. c. 5, v. 15.

(2) II, Cor. c. 11, v. 14.

(3) I. Epist. c. 4, v. 1.

monium spiritui nostro, id est, menti et cordi nostro, quod sumus filii Dei; et hoc testimonium in se, et quatenus a Spiritu s. procedit, est certissimum et infallibile: quoad nos tamen non est certum certitudine fidei divinae, nisi Deus hoc alicui specialiter revelet. Nam sine eiusmodi extraordinaria revelatione nunquam sumus absolute certi, an illud testimonium, quod hic et nunc sentimus, proficiscatur a Spiritu s., an vero a spiritu maligno transfigurante se in angelum lucis (2). Unde monet s. *Iohannes* (3): *Probate spiritus, utrum ex Deo sint*. Et s. *Paulus* (4) ait: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*. Quare ordinarie non nisi coniecturalem, aut ut summam aliquam moralem habemus certitudinem de nostra iustificatione, iuxta illud supra citatum: *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit*, nimirum id nescit ordinarie (5), seclusa speciali revelatione divina, quae mortalibus rarissime conceditur. An vero s. *Paulus* specialem revelationem de sua praedestinatione, vel confirmatione in gratia habuerit, dubium est. Sunt, qui affirmant propter epist. ad Roman. cap. 8, v. 38, et propter epist. 2, ad Timoth. cap. 4, v. 8. Sunt autem et alii, qui id negant propter citatum 27. versum epist. I. ad Corinth. cap. 9. Hi proin illud ad Rom. cap. 8, v. 38: *Certus sum* etc. intelligunt non de absoluta certitudine, sed de firma spe et confidentia, ita ut sensus sit: *Certam in Domino spem habeo, persuasum habeo, confido, me a charitate Christi nunquam separandum*. Et hoc vult graecum *πίστευμα*, quod ex mente *Pauli* idem est, quod persuasum habeo, spero, confido, ut hoc legit

(4) I. Cor. c. 4, v. 4.

(5) Vide Tridentinum, sess. 6, c. 9 et 12. Item ibid. Canon 14 et 16.



Hieronymus (1), Ambrosius, Vatablus, imo et Beza, Tremellius et plures alii etiam heterodoxi. Similiter quando Paulus (2) ait: *In reliquo reposita est mihi corona iustitiae*, id solum asserit ex fiducia bonae suae conscientiae; sicut ex eadem, non autem ex divina revelatione, vel certitudine fidei dixit (3): *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi*. Ita Cornelius a Lap., Tirinus, aliique.

30. QUÆRES VI. Quomodo illa (ad Rom. 8, v. 26) verba: *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, intelligenda sint, aut quomodo Spiritus s. verus Deus postulet et gemat? R. et dico, Spiritum s. in sacro hoc textu dici postulare et gemere non in sua persona, sed in nobis ipsis, qui tanquam animata et rationalia instrumenta ipsius sumus. Quod autem per instrumentum fit, ipsi moventi causae primae tribuitur. Ideo dicitur Spiritus s. loqui in nobis et postulare, non solum quia nos loqui et postulare facit, sed quia ipse per nos, tanquam per instrumenta operatur; sicut alibi (4) dicitur: *Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*. Gemitus autem, quos idem divinus Spiritus a nobis elicit, inenarrabiles vocantur, vel propter eorum vim et ardorem, vel quia satis exprimi non valent. Nam Spiritus s. subinde eos affectus, desideria et vota nobis inspirat, quae nec ante cogitata, nec obvia fuerunt, nec scitur unde veniant, aut quo tendant (5). Imo ea, quae Spiritus s. per eiusmodi gemitus impetrare nos facit,

(1) Q. 4 ad *Algasiam*. Vide etiam epist. ad Rom. c. 15, v. 14. ad Hebr. c. 6, v. 9. Item II. ad Timoth. c. 1, v. 5.

(2) II. ad Timoth. c. 4, v. 7.

(3) Ibid. v. 7.

(4) Matth. c. 10, v. 20.

saepe sunt longe diversa ab his, quae nos petere intendimus, sicque impetramus, quod oportet et nobis utile est, etiamsi ipsi ignari petamus aliquando contraria. Vide *Tolletum* (6).

31. QUÆRES VII. Quomodo illud (ad Rom. 10, v. 11): *OMNIS, QUI CREDIT IN ILLUM NON CONFUNDETUR, intelligendum? Numquid daemones confunduntur, etiamsi ipsi quoque* (Iacob. 2, v. 19), *credant et contremiscant?* R. In citato loco ad Rom. 10, v. 11, cum Paulus ait: *Omnis qui credit* (subaudi, et qui ore confitetur Christum, quique eidem obedit) is non confundetur. *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, ait apostolus ibidem versu 10, immediate praecedente. Non ergo fides sterilis, sed coniuncta cum professione fidei tum verbali, tum reali (et consequenter cum bonis operibus) in adultis necessario requiritur ad iustitiam et salutem. Talem autem fidem vivam non habent daemones. Vide *Tirinum* (7).

32. QUÆRES VIII. Quomodo illud (ad Rom. 12, v. 19): *Non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum irae*, conveniat cum alio Pauli dicto (2, Timoth. 4, v. 16), ubi apostolus ait, se defendisse se ipsum. R. Ubi vulgata nostra habet: *Non vosmetipsos defendentes*, in graeco est *ἐνδικουότες* id est, *vindicantes*, uti etiam textus syrus habet, dicens: *Nec ulciscamini vosmetipsos, dilecti, sed date locum irae*. Nam olim defendere idem erat quod ulcisci seu vindicare, ut recte notat *Gellius* (8) et alii. Sensus itaque primi textus

(5) Ioan. c. 5, v. 8.

(6) Commentar. in epist. ad Rom. c. 3, v. 26.

(7) Comment. in epist. ad Rom. c. 10, v. 10.

(8) L. 1, c. 9.

est: *Nolite sumere vindictam, sed cedite irato, neque repugnetis irae illius contra iurgando vel repercutiendo, aut alia ratione ulciscendo*. In altero vero textu Paulus ad *Timotheum* loquitur de iusta et licita defensione sine spiritu vindictae.

33. QUÆRES IX. Quomodo illud (ad Rom. c. 12, v. 20): *CARBONES IGNIS CONGERES SUPER CAPUT EIUS (inimici tui) concordet cum illo* (Ecclesiastici c. 8, v. 13): *NON INCENDAS CARBONES PECCATORUM, ARGUENS EOS; quomodo haec duo effata consentiunt?* R. Sensus primi textus est: *Si benefeceris inimico tuo, carbones ignis congeres super caput eius* hoc est, in illo extinctam charitatem accendes, ex inimico amicum faciens, et tanquam in ardentis charitatis tuae igne ferream cordis eius duritiam emollies. Patuit hoc exemplum *Saulis* et *Davidis*, qui cum bis (1) *Saul* sibi infestissimum potuisset occidere, eidem pepercit. Cuius tanta humanitate et clementia adeo emollita est *Saulis* duritia, ut facti sui poenitentis flevit, et iniustum se (2) confiteretur. Sensus vero alterius textus est: *Non incendas carbones peccatorum*, hoc est, ne peccatorem suis cupiditatibus affixum, et in aestu passionum incorrigibilem arguas: alioquin eius bile velut carbonibus ignitis incenderis, et arripiet te flamma peccatorum eius, id est, ad similem iram, rixas, caedes inflammaberis. Hinc textus graecus habet: *Ne accendas carbones peccatorum, ne illorum flammis succendaris*. Et syrus: *Ne sis communicans cum impio consummato*, id est, simpliciter et absolute tali. Ita *Cornelius a Lap.* cum aliis interpretibus.

34. QUÆRES X. Quomodo illud (ad Rom. 14, v. 23): *OMNE QUOD*

NON EST EX FIDE, PECCATUM EST, differat a propositione 25 Baiana a Sede apostolica damnata, et asserente omnia opera infidelium esse peccata? R. Sensus allati sacri textus non est, quod omnis actus, qui non procedit ex fide supernaturali, peccatum sit, adeoque, quod omnia opera infidelium sint peccata; sed quod omnis actus, qui non est ex dictamine conscientiae iudicantis, eum hic et nunc esse licitum, aut qui positive est contra fidem theologiam, peccatum sit: uti hunc textum interpretes et theologi orthodoxi passim exponunt.

## CAPUT II.

### De epistola s. Pauli prima et secunda ad Corinthios.

Apostolus prima ad Corinthios epistola horum contentiones componit, concordiam commendat et humilitatem, abusus quosdam eorum arguens et corrigens, respondetque ipsorum quaesitis.

Secunda vero ad eosdem epistola exponit causas, cur iterato ad ipsos scribat, quas tres fuisse s. *Chrysostomus* observat. Prima, quod variis adversitatibus retardatus, ad ipsos in persona invisere non possit, ut proposuerat. Secunda: ne solatio destitueret, quos prius salutari tristitia perculerat. Tertia, ut se et ministerium suum tueretur contra criminales pseudo-apostolos, qui *Paulum* variis diceris lacerassent.

35. QUÆRES I. Quomodo illud (1, Cor. 1, v. 17) *Pauli* dicentis: *NON MISIT ME CHRISTUS BAPTIZARE, cum verbis Christi* (Matt. ult. v. 19) *ad apostolos dicentis: DOCETE OMNES GENTES, BAPTIZANTES EAS etc., concordet?* R. cum *Cornelio a Lap.*, *Calmeto*, et aliis, ac dico, sensum pri-

(1) I. Reg. cap. 24, et cap. 26.

(2) I. Reg. c. 24, v. 17 et 18.



mi textus esse: *Non misit me Christus baptizare*, tanquam ex officio meo primario. Nam primarium apostolatus seu legationis meae munus est praedicare. Ex hoc autem non sequitur, quod *Paulus* non habuerit et exercuerit etiam officium baptizandi, sed tantum, quod administratio baptismi, et aliorum sacramentorum parochis committi solitorum non fuerit eius officium primarium, nec illam *Paulus* pro tali habuerit.

36. QUÆRES II. *Quomodo illud Pauli effatum* (1, Cor. 3, v. 8): QUI PLANTAT ET QUI RIGAT UNUM SUNT, concordet cum alio eiusdem effato (Ibid. v. 6): EGO PLANTAVI, APOLLO RIGAVIT. An PAULUS et APOLLO sunt unus aut unum? R. Nulla hic est contradictio. Nam sensus est: *Ego plantavi*, h. e. ego primus Corinthi semina ieci, primus evangelizavi, *Apollo rigavit*; quæ dein superveniens *Apollo* provexit (1). Sed tam ille qui plantat, quam ille qui rigat, unum sunt, officio scilicet et ministerio, h. e. aequè omnes sunt ministri Christi, prout exponit s. *Thomas* aliique passim. Licet enim qui plantat, et qui rigat in se diversi sint, omnes tamen unum idemque officium obeunt, unumque sunt in Christo, qui odit schismata, amat unionem: ergo unus prae alio, puta *Paulus* prae *Apollo* non est contemendus aut extollendus. Ita *Cornelius a Lap.* aliique.

37. QUÆRES III. *Quomodo illud Pauli effatum* (1, Cor. 7, v. 1): BONUM EST HOMINI MULIEREM NON TANGERE, cum illis Dei verbis (Genes. 2, v. 18): NON EST BONUM HOMINEM ESSE SOLUM, consentiat? R. Neque hic est realis antilogia, seu contradictio. Nam s. *Paulus* cit. loc. matrimonium non simpliciter im-

(1) Vide Actor. c. 18, v. 26.

probat (mox enim v. 2 addit: *propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat*), sed tantum vult, per se loquendo, caelibatum ab homine *particulatim* spectato praefendum matrimonio propter plurima incommoda et pericula, quæ sunt in statu coniugali; quamvis saepe per accidens expediat ei nubere ob incontinentiæ periculum. Silet autem hoc loco *Paulus* de rationibus *communibus* boni publici propagationis generis humani et similibus, ob quas optabile ac necessarium est matrimonium. Quare nulla est antilogia seu contradictio inter effatum *Pauli*, et citatum textum ex libro Genesis. Deus enim in Genesi loquitur de bono speciei humanae, *Paulus* de bono individui; Deus tempore mundi adhuc hominibus vacui, *Paulus* pleni; Deus potissimum de bono temporali, *Paulus* de bono vitæ spiritualis. In hac enim bonum est homini mulierem non tangere, saltem per se loquendo, si nempe Deus homini vim tribuit continentiam servandi; alioquin, ut *Paulus* ait, propter fornicationis periculum uxorem ducat.

38. QUÆRES IV. *Quomodo verba illa Pauli* (1, Cor. 7, v. 8), *de in-nuptis et viduis dicentis*: BONUM EST ILLIS SI SIC PERMANEANT, SICUT ET EGO, quibus clare indicat se fuisse innuptum, concilianda sint cum aliis eiusdem verbis (1, Cor. 9, v. 3, 5), ubi ait: NUMQUID NON HABEMUS POTESTATEM MULIEREM CIRCUMDUCENDI? Quibus verbis videtur innuere se habuisse mulierem uxorem. R. Nego suppositum, quod hæc ultima *Pauli* verba significant eum fuisse nuptum seu habuisse uxorem. Non enim ait se habere potestatem mulierem uxorem *circumducendi*, sed *mulierem sororem*. Atqui mulier soror non significat mulierem uxorem, sed matronam aliquam christi-

stianam, quæ *Paulo* ex suis facultatibus necessaria subministraret, sicut tales matronas circumducebant et caeteri apostoli, quin et ipse apostolorum princeps *Cephas* seu *Petrus*; imo ipse Christus, cui ministrabant omnia necessaria *mulieres de facultatibus suis* (1). Innuptus ergo fuit *Paulus*.

DICES: *Clemens Alex.* (2), et s. *Ignatius M.* (3) asserunt, *Paulum* fuisse uxoratum, imo *Ambrosius Catharinus* (4) refert in revelationibus s. *Birgittæ* haberi, apostolum hunc fuisse coniugatum: ergo. R. Ex his omnibus nondum evincitur s. *Paulum* fuisse uxoratum. Nam epistolæ s. *Ignatii M.* ad *Philadelph.* a posterioribus graecis clericis nomen *Pauli* clam insertum est, ut bene notat *Baronius* (5). In exemplaribus enim Vaticanis, Sfortianis, et aliis antiquioribus nomen *Pauli* non reperitur. *Clemens Alex.* quidem ita sensit, ab aliis deceptus. Sed quid unus *Clemens* ad tot alios antiquos patres, qui id absolute negarunt? Et cur dissimulant novatores, *Clementem* diserte addere, *Paulum* etsi habuerit uxorem, tamen post conversionem non amplius habuisse ut uxorem? Caeterum, dum *Ambrosius Catharinus* affirmat, in revelationibus s. *Birgittæ* haberi *Paulum* fuisse coniugatum, errat; nam ibi (6) prorsus contrarium asseritur. Denique, quamvis fatente *Bellarmino* non sit omnino certum, qui ex apostolis uxorem habuerit qui non; tamen praeter *Petrum*, cuius socrum in evangelio legimus, nullum alium apostolum fuisse coniugatum, *Petrum*

(1) Luc. c. 8, v. 5.

(2) L. 5 Strom.

(3) Epist. ad Philadelphios.

(4) Comment. in Epist. ad Philipp. c. 4, v. 2.

(5) Ad Annum Christi LVII, p. 518.

(6) L. 2, cap. 7, Edit. Antverp. anno 1611.

quoque post vocationem ad sequelam Christi nunquam amplius usum uxore, docent expresse *Tertullianus* et *Hieronymus a Bellarmino* (7) citati. Qui plura tum de caelibatu *Pauli*, tum aliorum apostolorum scire cupit, legat *Cornelium a Lap.*, *Tirinum*, aliosve interpretes (8), item *Pererium* (9), *Baronium* (10): ac denique revelationes s. *Birgittæ* (11).

SCHOLION. Etiam si aliquis cum *Catharino* assereret *Paulum* fuisse coniugatum, nulla tamen realis antilogia ex textibus (1 Cor. 7, v. 8, et 1 Cor. 9 v. 5) supra allatis sequeretur. Etsi enim uxorem habuisset, tamen potuisset esse continens, quod ipse *Catharinus* comment. in 1 Cor. 9 v. 5 expresse ait his verbis: *Vocat autem* (apostolus) *sororem, quæ erat uxor* (sua), *quia iam ut sorore, non ut coniuge utebatur*. Idem repetit et inculcat comment. in epist. ad Philipp. 4, v. 3.

39. QUÆRES V. *Quomodo illud* (1 Cor. 10 v. 2) *Pauli dicentis*: OMNES (israëlitæ) IN MOYSE BAPTIZATI SUNT IN NUBE ET IN MARI, concordet cum illo (Exod. 14 v. 22): INGRESSI SUNT FILII ISRAEL PER MEDIUM SICCI MARIS. *Quomodo hi baptizati sunt, si sicci transierunt vadum?* R. Apostolus hoc loco non vult, israëlitæ reapse fuisse baptizatos, aut aqua maris ablutos, sed solum eos fuisse baptizatos spiritaliter et typice, in quantum transiendo per mare divisum, typum gessere baptismi nostri. Sensus itaque est: *Omnes israëlitæ in Moyse*, i. e. duce Moyse et in confirmationem doctrinae mosaicae ba-

(7) L. 1 de clericis.

(8) Comment. in 1. Cor. c. 7, v. 2, 7, et 8. Item in Philipp. c. 4, v. 2.

(9) Super ep. ad Rom. in Proleg. disput. 1.

(10) Loc. cit.

(11) Loc. cit. cum adiecta nota secunda *Consalvi Durantii*.



ptizati sunt typice, idque in nube, i. e. sub ducatu et protectione nubis praeuntis, et in mari, quia sequi nubem, et inire mare rubrum, quod aegyptios demersit, figura erat futuri baptismatis Christi, quo hostes nostri, i. e. peccata demerguntur, et nos coelesti rore gratiae Spiritus s. obumbramur, et sanguine Christi rubricamur, sicque a servitute diaboli transimus in regnum Christi. Ita *Anselmus, Chrysostomus, Theophylactus*, aliique.

40. **QUAERES VI. Quomodo effatum Pauli (1 Cor. 10 v. 4): PETRA ERAT CHRISTUS, conveniat cum effato Christi ad Petrum (Matth. 16 v. 18) dicentis: ET EGO DICO TIBI, QUIA TU ES PETRUS, i. e. Petra? R.** Et CHRISTUS, et PETRUS est petra. Hoc enim nomen Christus vicario suo indidit, quia est ipsius Christi nomen in s. Scriptura non raro decantatum (1). Nomen ergo suum cum dignitate et Petro communicavit. Audiamus s. Leonem, qui Christum ita ad Petrum loquentem (2) inducit: *Cum ego sim petra, ego lapis angularis, quia facio utraque unum, ego fundamentum, praeter quod nemo aliud potest ponere; tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria tua, sint mecum participatione communia: et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.* Hac de re vide plura apud *Cornelium a Lap.* (3).

41. **QUAERES VII. Quomodo illud Pauli (1 Cor. 10, OMNE QUOD VOBIS APPONITUR (etsi idolis immolatum fuerit) MANDUCATE, concordet cum illa apostolorum lege (Actor. 15, v. 29) lata: VISUM EST SPIRITUI S. ET**

(1) Isai. c. 28, v. 16. Psalm. 117, v. 22. Matth. c. 21, v. 4, et in aliis Script. locis.

(2) Serm. 2 in Natali s. Petri, vel secundum novam editionem Ballerinianam serm. 85 s. Leonis.

NOBIS.... UT ABSTINEATIS VOS AB IMMOLATIS SIMULACRORUM? R. Nulla hic est contradictio inter effatum s. Pauli, et praeceptum illud apostolicum Actor. cap. 15. Hoc enim praeceptum non erat universale, neque extendebat se ad *Corinthios* aut omnes christianos, sed ad solos *Antiochenos* et eorum vicinos (4), idque causa concordiae iudaeorum (qui Antiochiae plurimi erant, et idola ac idolothya execrabantur) cum gentilibus. Fatendum tamen, quod postea etiam aliae gentes ab *Antiochia* remotissimae illud praeceptum apostolicum amplexae sint sponte, ob reverentiam apostolorum. Haec et plura alia perquam erudite observat *Cornelius a Lap.* (5), ubi etiam expresse asserit, et cum s. Thoma (6) ostendit, idolothya comedere per se non fuisse peccatum, simulque per exempla declarat, in quibus circumstantiis sit aut fuerit peccaminosa illa comestio.

42. **QUAERES VIII. Quomodo illud (1 Cor. 10 v. 33): PER OMNIA OMNIBUS PLACEO, concordet cum effato Pauli (ad Galat. I, v. 10): SI ADHUC HOMINIBUS PLACEREM, CHRISTI SERVUS NON ESSEM. Quomodo haec duo sine contradictione explicantur? R.** Nulla hic est realis contradictio, sed dumtaxat apparens. Nam studium placendi hominibus tunc tantum vitiosum seu Christi servum dedecens est, quando quis ita hominum favorem et gloriam captat, ut paratus sit Dei legem violare, ne displiceat hominibus, atque hoc sensu loquitur apostolus loc. cit. ad galatas. Qui vero hominibus placere studet hoc modo et fine, ut eos ad

(5) Comment. in Matth. c. 16, v. 18.

(4) Actor. c. 13, v. 25.

(3) Comment. in I. Cor. c. 8, ab initio ante expositionem vers. 1. Item comm. in I. Cor. c. 10, v. 21.

(6) I, 2, q. 105, a. 4 ad 5.

Deum Deique cultum trahat, non tam hominibus, quam Deo placere studet. Et hoc sensu *Paulus* loquitur ad corinthios cit. loc., unde post illa verba; *Per omnia omnibus placeo*, immediate addit: *Non quaerens, quod mihi utile est, sed quod multis: ut salvi fiant.*

**QUAERES IX. Quomodo intelligendum illud (1 Cor. 11, 14): VIR QUIDEM SI COMAM NUTRIAT, IGNOMINIA EST ILLI; cum tamen Samson (Iudic. 16 v. 17), et omnes Nazaraei (Num. 6 v. 5) comam laudabiliter nutriverint? R.** Nutrire comam vanitatis causa, aut absque rationabili causa (de quo ibi *Paulus* loquitur) probrosum est viro: non vero, si fiat ex pietate et religione, uti apud Nazaraeos.

43. **QUAERES X. Quomodo illud Pauli (1 Cor. 13 v. 7): CHARITAS OMNIA CREDIT, conveniat cum verbis (Eccli. 19 v. 4) QUI CITO CREDIT, LEVIS EST CORDE? R.** Apostolus illo capite agit de officiis charitatis erga proximum, ac inter alia dicit: *Charitas omnia credit*, hoc est, facile proximo assentitur ubi sine peccato assentiri potest, non repugnat, non contendit aut contradicit, non est suspicax, omnia meliora de proximo credit, et sibi persuadet. Ecclesiasticus vero vult dicere: Qui credit quilibet cuilibet sine iusta causa et auctoritate asserenti, praesertim proximo detrahenti, levis est corde. Vide *Cornelium a Lap.* aliosve (1).

44. **QUAERES XI. Quomodo illud (1 Cor. 14 v. 31): POTESTIS ENIM OMNES PER SINGULOS PROPHEARE, concordet cum verbis (1 Cor. 12 v. 29): NUMQUID OMNES PROPHEAE? NUMQUID OMNES DOCTORES? R.** Sensus prioris textus est: *Potestis omnes*, quotquod prophetiae donum

(1) Comment. in Eccli. c. 19, v. 4.

(2) 3. p. q. 55, art. 5.

habetis per singulos prophetare, id est, singillatim, ordine quisque suo, quae iam praescripsi. Non vero *Paulus* ait, quod omnes fideles habeant prophetiae donum, ut patebit consideranti totum contextum illius prioris loci.

45. **QUAERES XII. Quomodo intelligenda sint illa verba (1 Cor. 15 v. 20): NUNC AUTEM CHRISTUS RESURREXIT A MORTUIS, PRIMITIAE DORMIENTIUM, hoc est, primus resurgentium cum tamen iam in morte Christum ante huius resurrectionem (Matth. 27 v. 52) MONUMENTA APERTA SINT: ET MULTA CORPORA SANCTORUM, QUI DORMIERANT, surrexerint? R.** Qui iuxta *Matthaeum* loc. cit. surrexerunt, non illa praecise die, qua Christus in cruce mortuus est, sed primum die tertia cum Christo, imo post Christum (saltem posterioritate naturae, licet non temporis) ad vitam immortalem surrexerunt; prout colligitur ex vers. 53 immediate sequenti: *Et exeuntes de monumentis post (non ante) resurrectionem eius (Christi) venerunt in sanctam civitatem et apparuerunt multis.* Igitur horum sanctorum corpora non fuerunt ad vitam resuscitata ante resurrectionem Christi; alias tribus diebus viva iacuisent in sepulchris, quod non est credibile. Dein sancti isti apparuerunt multis eum in finem, ut essent testes resurrectionis dominicae. Igitur ante hanc factam non venerunt in civitatem sanctam i. e. Hierosolymam. Neque enim prius Dominum surrexisse, potuissent testari. Vide hac de re *Suarez* (2), et *Anton. Mayr* (3). Dixi: quod ii, qui iuxta *Matthaeum* loc. cit. surrexerunt, saltem posterioritate naturae, licet non temporis, post Christum surrexerint. Quia (ut *Suarez* loc. cit.

(3) De primo et secundo adventu Christi l. 4, cap. 17, n. 684, p. 575-578.